

sicut coram positum ac presentem, simul et mente orabis et actu corporis adorabis. Ita fit, ut etiam deus sicut et cetera quæ ad ¹ adorationem pertinere diximus, quasi gracia venerationis adoretur. Illud tamen nosse debes, quod Greci inter orationem et adorationem talem differentiam faciunt, ut orationem pro-euchin, adorationem proschinusin appellent, idque huiuscemodi differentia demonstrari, quod horum alterum ad mentis², alterum ad corporis spectat officium. Nam ubi in Matheo³ dominus discipulos, qualiter orare debeant, instruit, hoc in Greco pro-euchin quod ad mentem pertinet positum legitur. In eo vero loco, ubi Herodes mago alloquitur ac dicit⁴, 'ut et ego veniens adorem eum', proschinusis, quod adorationem tantum et⁵ officium corporale significat, invenitur; et quoniam haec differentia quod alicui rei licenter possit aptari⁶, manifestum est, iam liquere puto, quod adoratio sanctæ cruci non sit deneganda, quin potius ut beatus Hieronimus⁷ de sancta Paula Hierosolimam veniente commemorans: 'prostrata', inquit, 'ante crucem quasi pendentem dominum cerneret adorabat', hoc et nobis credamus esse faciendum, ut prosternamur videlicet ante crucem et eum, qui in ea pependit interioribus oculis intuentes adoremus. Sic et crux, quæ sine dubio sancta est et competentem sibi habebit honorem, et deus, in quo et a quo et per quem, ut beatus Augustinus ait, sancta sunt quæ sancta sunt omnia, in eo quod ipse sanctificavit⁸ venerabiliter adoratur.

1) 'ad' vor 'ador.' von anderer Hand halb verlöscht. 2) 'ad mentis' am Rande von anderer Hand. 3) C. 6, 5—7. 4) C. 2, 8. 5) 'id' von anderer Hand verb. 'et'. 6) 'aptari' am Rande von anderer Hand. 7) Epist. CVIII ad Eustoch. virg. (Opp. ed. Vallarsius I, 697). 8) 'scificavit' Hs.
